



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 5. An licet minus peccatum suadere volenti committere gravius,
quando aliter gravius impediri nequit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

lapsuri ruinam impedire, cùm facilè possumus, cùm tale opus non sit præceptum, nec necessarium, & illud differendo, vel etiam omittendo ad impediendum peccatum proximi, exerceamus actum Charitatis magis meritorium, quàm foret ipsum opus, quod omittitur.

Quòd si post redditam rationem non desinant inde scandalizari; tunc scandalum ex mera malitia oritur, & sic propter ipsum non esse dimittenda bona odera, docet S. Thom, *ibid.*

Q. 5. An licet minus peccatum suadere volenti committere gravius, quando aliter gravius impediri nequit?

Resp. Id non licet loquendo de suasio-
ne, aut alia inductione directa. Tum quia
semper per se malum est inducere ad pec-
catum quodvis, etsi leve: nam nunquam
licet facere malum, nec proinde illud con-
sulere, ne quidem, ut eveniant bona, ex
Rom. 3. Tum quia qui consulit minus pec-
catum, etiamsi consulat ad impediendum
majus, in peccatum illud minus consentit,
illudque approbat, quod est intrinsecè ma-
lum. Tum quia suadens esset moralis cau-
sa peccati minoris, ad quod alter non erat
determinatus: ideòque ei meritò imputa-
retur. Porro illud effatum: *E duobus ma-*

lis minus eligendum est: non habet locum in peccatis, quæ libere fiunt, & vitari possunt; sed in iis solum malis, quorum unum sustinendi necessitas incumbit.

Tamen volenti duo peccata inæqualia committere, suadere licet, ut relicto graviori, contentus sit minus gravi: quia hoc non est propriè suadere minus peccatum, sed solum omissionem gravioris. Idem dic, quando minus est pars inclusa in majori, ut si determinato ad furandum centum dicas, ut sit contentus quinque: quia tunc solum abducis à parte peccati; modò id fiat respectu ejusdem personæ: nam volenti furari Petro suadere non licet, ut Paulo minus furetur: quia hic æquè jus habet ad suum minus, quàm ille ad suum majus, & hoc jus tunc violares. Sicut non licet Petro eripere bonum, ut Paulo etsi egentiori detur.

*Q. 6. Quando nam est peccatum scandali vendere, vel dare alteri rem, aut operam de se licitam, qua male usus pravi-
detur, vel probabiliter
putatur?*

*Resp. I. Peccatum est, quando denegari potest sine gravi damno: quia secundum omnes, teste De Lugo, quisque tenetur ex Charitate impedire peccatum proximi, si potest saltem sine gravi incommodo; & à
for-*